P.o.lat.
1657
k

P. o. lat. 1657 K

P.o.lat 1657 b C

VIRO SUMME REVERENDO

AMPLISSIMO

CAROLO HENRICO GODOFREDO LOMMATZSCH

DULCI SUORUM DECORI

AC PRAESIDIO

SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES

ADEPTO

PIE GRATULATUR

FAMILIA WAGNERIA

INTERPRETE PHILIPPO

GENERO. [Philipp Wagner]

DRESDAE,

TYPIS C. G. GAERTNERI.

[ca. 1824]

T 166165 q

P. o. lat. 1657 b

Ergo canamus! Gaudia permeant
Insueta venas. Ipse choro novem,
Vitis Maroneae repertor,
Castalidum comitatus adsis!

Jam plena cuncti tollite pocula,
Laetamque vocem: „Sit decori bene
LOMMATZSCHIDARUM!" per strepentem
Ingeminate domum, sub alto

Donec micantes aethere sidera
Flammas coruscant; nec capiti procul
Delapsa potantis corona
Sit pudor, et maduisse Jaccho!

Dulce est, amici, quem necopina sors
Faustis revisens alitibus beat,
Vultus renidentes et ora
Cernere, laetitiamque sensus

Imos cientem: dulcius est, virum
Spectare factis nobilibus gravem,
Cui, justa sollers promerenti
Dona referre, caput verendum

Dignis revinxit Gloria honoribus,
Claris adaequans nominibus novum,
Vivi quod amplectantur uno
Grataque posteritas amore.

Fractus ruina praecipiti cadet
Coelique vertex, altaque sidera,
Ignisque terras et potentum
Uret edax monumenta regum:

Secura fati, perpetuo nitet
Virtus juventae flore, nihil tremens
Coelive casum, ignesve terrae,
Tartareive ratem Charontis.

Haec immerentem prosequitur mori;

Haec sempiternum jam TIBI fert decus,

Dignamque, LOMMATZSCHI, rependit

Moribus ingenioque palmam!

Haec et sub atris ignibus ultimos

Functum labores Amphitryoniden,

Umbra nigros lustrante Manes,

Concilio sociat Deorum. *)

*) Odyss. XI. 601 sqq.

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
Τέρπεται ἐν θαλίῃς.

Bayerische Staatsbibliothek München